

CORPUS IURIS CANONICI

EDITIO LIPSIENSIS SECUNDA

POST

AEMILII LUDOVICI RICHTERI

CURAS

AD LIBRORUM MANU SCRIPTORUM ET EDITIONIS ROMANAE

FIDEM RECOGNOUIT ET ADNOTATIONE CRITICA

INSTRUXIT

AEMILIUS FRIEDBERG

PARS PRIOR

DECRETUM MAGISTRI GRATIANI

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ

LIPSIAE MDCCCLXXIX

DISTINCTIO XL.

C. VI. *Dampnatur Apostolicus, qui suae et fraternae salutis est negligens.*
Item ex gestis¹ Bonifacii Martiris².*

III. Pars. Si Papa suae³ et fraternae salutis negligens reprehenditur⁴ inutilis et remissus in operibus suis, et insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi et omnibus, nichilominus innumerabilis populos cateruatim secum ducit, primo mancipio gehennae cum ipso plagis multis in eternum vapulaturus⁵. Huius⁶ culpas istic redarguere praesumit⁷ mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus⁸ a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide devius⁹; pro cuius perpetuo statu universitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animadvertunt¹⁰ propensius pendere.

¹Codd. coll. o. Ed. Bas.

²Caput non inofensae fidei.- cf. Berard. II, 2, 182.- Deusdedit I, 231. (can.: *Sancta Roma et ap. eccl.*); Ivo Decr. V, 23 Coll. tr. P. III, 9,3.

³si vero suae: Deusded.

⁴ABCDF Coll. tr. P.

⁵vapulantur: AB; vapulaturus: Ivo - Corr.

⁶huiusmodi: Ed. Bas.; cuius palmas: Deusded.

⁷praesumat: AB.

⁸iudicat: Coll. tr. P.

⁹devians: AB; in *ep. Clem. I ad. Iac.* eadem formula legitur, cf. etiam *Isid. Hisp. sent. lib. III, c. 39.*

¹⁰ABH Ivo Coll. tr. P.; animi advertuntur: Deusded. II can. 7.

NOTATIONES CORRECTORUM.

C. VI. *Dictis BONIFACII: Nauclerus Gen. 26. testatur hoc fuisse dictum BONIFACII Martyris. Verum Deusdedit presbyter cardinalis tit. Apostolorum in Eudoxia, tempore VICTORIS Papae III. libros IV. de rebus ecclesiasticis composuit, qui in bibliotheca Vaticana servantur. Et in libro I. cap. 231. ex gestis¹¹ BONIFACII martyris et archiepiscopi MOGUNTINI, sed. ap. legati, haec sanctissimi illius viri de Romano Pontifice ac sede apostolica verba refert, in quibus est hoc caput, et quidem ex antecedentibus et sequentibus valde illustratur. Sancta Romana ecclesia, privilegio specialis auctoritatis divinitus et humanitus caput omnium ecclesiarum post CHRISTUM IESUM effecta, secundum antistitis vel rectoris sui qualitatem et valetudinem afficit totius Christianitatis membra, tu illius incolumitati sua respondeant incolumitate et congaudeant, et nihilominus eius languoribus suo languore consentiant, et sicut eius gloria iuxta Apostolum¹² conglorificantur, sic eius deiectione deiiciuntur, ut illud propheticum in eo praecipue compleri deprehendatur: *Omne caput languidum, et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*¹³. Et revera tanta reverentia apicem praefatae apostolicae sedis omnes suscipiunt, ut nonnullam sanctorum canonum disciplinam et antiquam Christianae religionis institutionem magis ab ore praecessoris eius, quam a sacris paginis et paternis traditionibus expetant; illius velle, illius nolle tantum explorant, ut ad eius arbitrium suam conversationem et ipsi remittant, aut intendant. Quos si, ut summopere sibi et omnibus expedit, zelo domus DEI sine intermissione tabescens, fidelis dispensator et prudens existens, DEO et hominibus opere et sermone irreprehensibilem sese conservare studuerit, ut vere fatear, universum paene mundum secum attonitum et sollicitum post DEUM currere facit, ex utroque sexu populos diversae professionis, conditionis et aetatis catervatim DOMINO suo super omnia bona ipsius constituendus ducit. Si vero suae et fraternae salutis negligens deprehenditur, inutilis et remissus in operibus suis, et insuper a bono taciturnus¹⁴, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennae cum ipso plagis multis in aeternum vapulaturus; cuius culpas istic redarguere praesumit mortalium nullus, quia cunctus ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, nisi forte deprehendatur a fide devius; pro cuius perpetuo statu universitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post DEUM ex illius incolumitate animadvertunt propensius pendere. Salvo enim divinae omnipotentiae mysterio, ut dignum est, loco ab ipsa secundo, illud B. IOB. non incongrue aptari S. Romanae ecclesiae potest: *Si destruxerit, nemo est, qui aedificet, et si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat ei; si continuerit aquas, omnia siccabuntur, et si emisericit eas, subvertent terram*¹⁵; nec immerito, quum ipsa specialius in PETRO coeli terraeque retinet habenas. Haec quum omnium fidelium in CHRISTO spiritalis sit mater, nemo debet veniure illius feriri disciplina

¹¹sic habent etiam multi Gratiani codices, et Ivo

¹²II. Cor. c. I.

¹³Isaias. c. I. v. 5.

¹⁴quod magis officit sibi et omnibus

¹⁵Job. c. XII. v. 14.

vel emendari censura, iuxta illa proverbia SALOMONIS: *Ne dimittas legem matris tuae*¹⁶, *liga eam in corde tuo iugiter*¹⁷; *qui enim abiicit disciplinam, infelix est*¹⁸, *et stultus homo despicit matrem suam*¹⁹; et rursus: *Est maledictus a DEO, qui exasperat matrem*²⁰, *et maledictio matris eradicat fundamenta*²¹; illa utique quae arrogant²², divisa a sede illius, cui dictum est: *Tu es PETRUS, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*²³; et super arenam concupiscentiae carnalis seu humanae praesumptionis probantur posita; cursus rivi minime prosperatur, si a suo fonte dividatur.

¹⁶Proverbia. c. I. v. 8.

¹⁷Proverbia. c. VI. v. 20.

¹⁸Sapientia. c. I. v. 11.

¹⁹Proverbia. c. XV. v. 20.

²⁰Ecclesiasticus. c. III. v. 18.

²¹Ecclesiasticus. c. III. v. 11.

²²arroganter(?)

²³Matthaeus. c. XVI. v. 18.